

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Matthaeus Voland Hans Jebsen

**Collegii Logici Disputatio X. De Syllogismis, Modali, Exponibili, Composito, Et  
Imperfectis Argumentandi Formis**

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729609138>

Druck Freier  Zugang



R u. phys 1642

Voland, Matthaeus,  
Collegii logici disputatio  
2 - 11



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn729609138/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729609138/phys_0002)

**DFG**

COLLEGII LOGICI  
Disputatio X.

7

SYLLOGISMIS, MODALI, EXPONIBILI, COMPOSO TO, ET IMPERFECTIS ARGUMENTANDI FORMIS.

*Quam*

PERMISSU

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

In Alma Rosarum

SUB PRÆSIDIO

M. MATTHÆI VOLAND,

Mœno-Francofurtani S. S. Theol.

Studioſi,

Præstantissimis & literatissimis suis Dominis

Collegis ventilandam proponit

JOHANNES EBSEN / Sonderburgensis Holsatus.

Ad diem 20. Augusti.

• 8 (0) 80

ROSTOCHII,

Literis NICOLAI KILII Academ: Typogr.

ANNO M. D. C. XLII.





Collegii Logici  
DISPUTATIO X.

De

SYLLOGISMIS, MODALI, EX-  
PONIBILI, COMPOSITO, ET IMPER-  
FECTIS ARGUMENTANDI FORMIS.

THESES I.

**N** præcedenti Disputatione de Syllogismo simplici actum est, restat, ut quod promisimus de Syllogismis, Modali, Exponibili, Composito & imperfectis argumentandi formis aliquid dicamus.

**II.** Primo autem aliquid de Modali Syllogismo dicturi sumus.

**III.** Est verò Modalis Syllogismus, qui constat ex propositionibus modalibus legitimè dispositis. ut e. g.

*Omnis ignis necessariò est calidus.*

*Omnis flamma est ignis,*

*E. Omnis flamma necessariò est calida.*

Hic Syllogismus est modalis, quia constat ex propositionibus modalibus. Major enim propositionis & conclusio sunt enunciationes modales, est etiam hic legitima dispositio, quia particula modalis in conclusione cum eo termino repetitur, cui apposita erat in maiore propositione.

**IV.** Legitima autem dispositio est in hujusmodi Syllogismis, cum non peccant contra aliquam regulam vel generalem vel specialem Syllogisticam, ut e. g. in hoc Syllogismo non est legitima dispositio, cum dicitur :

A

*Necesse*

*Necesse est nullum Grammaticum esse quadrupedem.  
Contingit omnem hominem esse Grammaticum.  
E. Necesse est nullum hominem esse quadrupedem.*

Peccat enim hic Syllogismus contra regulam formalis consequentiae, quod non debeant esse plures nec pauciores termini in Syllogismo quam tres; Siquidem quatuor hic cernere licet terminos, quod patet, si Syllogismus hic in casibus obliquis propositus resolvatur in suos casus rectos hoc modo:

*Nullus Grammaticus necessario est quadrupes,  
Omnis homo contingenter est Grammaticus,  
E. Nullus homo necessario est quadrupes.*

Nunc satis apparet Numerus quaternarius terminorum in hoc Syllogismo. 1. est Grammaticus. 2. Contingenter esse Grammaticum. 3. Homo. 4. Necessario esse quadrupedem: Idem etiam de similibus syllogismis judicium est ferendum.

**IV.** Syllogismus Modalis est vel purus vel mixtus.

**V.** Purus modalis est, qui constat ex puris propositionibus modalibus, ut:

*Qui contingenter est doctus, est necessario homo.  
Qui contingenter est doctus, est necessario rationalis.  
E. Quidam qui est necessario rationalis, est necessario homo.*

Simile exemplum est, cum talis Syllogismus proponitur, ut:

*Quicunque contingenter est doctus, contingenter est virtuosus. (Philosophus,*

*Quicunque contingenter est doctus, contingenter est*

*E. Quidam qui contingenter est Philosophus, contingenter est virtuosus.*

**VI.** Mixtus vero Modalis est, qui habet propositiones diversi generis, vel: cuius propositiones non omnes sunt modales, ut:

*Omnis homo necessario habet caput.*

*Quoddam animal est homo,*

*E. Quoddam animal necessario habet caput.*

Hic

Hic Syllogismus est modalis mixtus: habet enim duas enunciaciones modales, videlicet majorem Propositionem & Conclusionem, & unam absolutam, nempe minorem.

VII. Syllogismus est insuper vel primariò vel secundariò modalis: De primario Modali nunc agimus, de secundario Modali, qui est Exponibilis, post considerationem Modalis dicemus.

IX. Notæ de Syllogismo Modali observandæ sunt hæc.

IX. 1. Not. Omnis syllogismus modalis compositus est reducendus ad modalem divisum, vel quod idem est. Omnis syllogismus modalis constans ex propositionibus modalibus obliquis revocari debet ad enunciationes in casibus rectis propositas, ut ita perspicuum judicium logicum de eo institui queat. Sic hic syllogismus, qui sequitur, non statim primo intuitu manifestat vitium suum, nisi resolyatur in casus rectos, ut:

*Contingit omne currens esse hominem.*

*Contingit omne rationale currere,*

*E. Contingit omne rationale esse hominem.*

Resolvitur vero ita in casus suos rectos:

*Omne currens contingenter est homo.*

*Omne rationale contingenter currere*

*E. Omne rationale contingenter est homo.*

Hic nunc vides quatuor terminos. 1. est *ad currere*, absolutè possum. 2. *Contingenter currere*. 3. est *contingenter esse hominem*.

4. *ad rationale*.

X. Not. 2. In examine horum Syllogismorum modus prædicato est apponendus, prout monet Excellentiss. Vir Dannhawer: in Epitome Dialecti: p. 135.

XI. Modum autem ad prædicatum referri debere probatur.  
1. Ex conversione, quā modus una cum prædicato in locum Subjecti transponi debet, si legitimā debeat fieri conversio: Exinde nunc struo argumentum tale. Quicquid transponitur legitimā institutā conversione in locum Subjecti, illud antea pertinebat ad prædicatum, sed modus legitimā institutā conversione transponitur in locum Subjecti. E. Majoris veritas patet ex definitione conversio-

A a

nis,

nis, quæ dicitur esse transpositio terminorum: Minor probatū hoc exemplo, ut: Omnis homo contingenter est Philosophus. Optimè converto hanc propositionem, si modus referatur ad prædicatum, & convertatur ita: Quidam qui contingenter est Philosophus, est homo: Sin vero ad subjectum referam, pessima erit conversio, hoc modo: Quidam Philosophus contingenter est homo. 2. probatur ex communi hac Logicorum regula: Quicquid exprimit rationem inherentiæ prædicati ad Subjectum, illud referri debet ad prædicatum: i.e. Quicquid dicit, quâ ratione prædicatum Subjecto suo conveniat vel non conveniat, illud pertinet ad prædicatum: Subsumo; Modi exprimunt rationem inherentiæ prædicati ad Subjectum. Minor debet probari, quam probo inductione exemplorum, ut: Homo necessariò est animal. Hæc propositione est modalis, & modus exprimit rationem inherentiæ prædicati ad Subjectum suum, dicit enim, quod Prædicatum hoc (animal) Subjecto suo (hominis) conveniat non contingenter sed necessariò. Et sic in omnibus modalibus entificationibus res sese habet. 3. probatio desumitur ex syllogismis legitimis, ut:

*Omnis homo est contingenter doctus.*

*Petrus est homo.*

*E. Petrus contingenter est doctus.*

Similis Syllogismus est hic:

*Omnis equus necessariò est hinnibilis.*

*Bucephalus est equus.*

*E. Bucephalus necessariò est hinnibilis.*

4. probamus ex vitiosis Syllogismis, ut: e. g.

*Omnis Philosophus est homo.*

*Contingit Aristotelem esse philosophum.*

*E. Contingit Aristotelem esse hominem.*

De hoc Syllogismo facile dicere possumus, quid vitii habeat, si particula modalis referatur ad prædicatum. Nam tunc quinq; termini apparebunt: 1. est Philosophus 2. contingenter esse philosophum: 3. homo. 4 contingenter esse hominem. 5. Aristoteles 5. Ratio, qua probari haec potest sententia, desumi potest ex modis possibili

sibili & impossibili, qui modi in resolutione modalium enunciationum utiq; ad prædicatum pertinent, ut: *Impossibile est Bucephalum esse hominem.* Resolvitur hæc præpositio ita, *Bncephalus non potest esse homo.* *Bucephalus est subiectum*, quia est id, de quo aliquid dicitur, videlicet *non posse esse hominem*. Sic hæc quoq; præpositio resolvitur, utpote: *Possible est hominem esse doctum*, in istam: *Homo potest esse doctus*, ubi sane homo erit Subiectum, quia de eo aliquid dicitur, *posse esse doctum* est prædicatum, quia dicitur de aliquo, videlicet homine.

XII. 3. Not. Syllogismi modales non differunt specie, ab absolutis: Quare etiam hic non sunt fabricanda nova præcepta & regulæ, juxta quas hi Syllogismi examinentur, sed retinendi sunt generales canones, ut & speciales, de quibus in disputatione præcedenti dictum est, etiam in examine horum Syllogismorum. Nam etiam hi Syllogismi, in quibus quatuor termini, aut qui constant ex puris particularibus vel ex puris negativis, vel in quibus in prima figura minor præpositio est negans &c: rejiciuntur, ut:

*Impossibile est hominem esse leonem.*

*Impossibile est quoddam rugibile esse hominem.*

E. *Impossibile est quoddam rugibile esse leonem.*

Hic Syllogismus vitiosus est, quia quatuor habet terminos, quod luce meridianâ clarius elucescit, si redigatur in propositiones rectas, hoc modo:

*Homo est aduvatus leo.*

*Quoddam rugibile est aduvatus homo.*

E. *Quoddam rugibile est aduvatus leo.*

Primus enim terminus in hoc Syllogismo est homo 2. esse aduvatus hominem. 3. esse aduvatus vel impossibiliter leonem. 4. est rugibile.

XIII. 4. Not. Nullus discursus in quo idem terminus semel absolute, semel modificate ponitur, legitimus est in forma; ratio hujus notæ est, quia alias quatuor vel quinq; termini hinc oriuntur e. g.

*Omnis doctus est homo.*

*Contingit Petrum esse doctum.*

*E Contingit Petrum esse hominem.*

Hic Syllogismus dignus est qui rejiciatur: Nam in eo terminus *doctus* in majore ponitur absolute, in minore modificate ponitur, hinc etiam quinque termini sunt in hoc discursu. 1. est doctum esse. 2. Contingenter esse, doctum. 3. homo. 4. contingenter esse hominem. 5. est Petrus.

XIV. 5. Not. Cujusque termini particula modalis ibi est repetenda, ubi ipse repetitur terminus, ut e. g.

*Omne animal possibile est esse album,*

*Omnis homo est animal,*

*E. Omnis homo est albus.*

Hic discursus peccat in eo, quia terminus major habet adjunctum modum, qui non repetitur in conclusione, ubi idem ponitur terminus, cui appositus erat in majore propositione: Quare etiam quatuor termini in hoc syllogismo sunt, prout patet insipienti.

XV. 6. Not. Modus impossibile, cum resolvitur, facit negantem propositionem, ut;

*Impossibile est hominem esse equum,*

*Impossibile est Bucephalum esse hominem.*

*E. Impossibile est Bucephalum esse equum.*

Hic Syllogismus, cum resolvitur, est ex puris negativis hoc modo:

*Homo non potest esse equus.*

*Bucephalus non potest esse homo,*

*E. Bucephalus non potest esse equus.*

XVI. 7. Not. In minore propositione non potest apponi praedicato formalis aliquis modus, si major existat sine modo. Hinc atro carbone notandus est hic discursus, qui sequitur:

*Qui est Imperator Romanus, est homo.*

*Ferdinandus est contingenter Imperator Romanus,*

*E. Ferdinandus contingenter est homo.*

Simili

**S**imili laborat morbo etiam hic syllogismus.

*Papa est homo.*

*Urbanus est contingenter Papa.*

*E. Urbanus contingenter est homo.*

Hic syllogismus modò positus merito à nobis rejicitur, quia minor propositio formaliter modificata est, majore existente sine modo. Hinc etiam quinque termini sunt in eo, uti apparent pensant, peccat enim contra Notam 4. in thesi 13. positam. Tantum de Syllogismo Modali dictum esto, pergo ad syllogismum exponibilem.

### **D E S Y L L O G I S M O E X P O N I B I L I .**

**XVII.** Syllogismus exponibilis est, qui constat ex enunciatiōnibus exponibilibus. Qui igitur recte de Syllogismis hisce sentiē vult, naturam propositionum exponibilium cognitam probē perspectamq; habeat necessum est.

**XIX.** Syllogismus exponibilis est vel purus vel mixtus.

**XIX.** Syllogismus exponibilis purus est, qui constat ex puris propositionibus exponibilibus, ut e. g.

*C H R I S T U S secundūm humanam naturam fuit mortalis.*

*C H R I S T U S secundūm divinam naturā est eternus,*

*E. Quidam qui secundūm divinam naturam est eternus, secundūm humanam naturam fuit mortalis.*

*Item:*

*Homo quā rationalis est risibilis.*

*Homo quā rationalis est disciplina capax.*

*E. Quidam qui est disciplina capax, quā rationalis, est risibilis quā rationalis.*

**XX.** Mixtus exponibilis Syllogismus est, cuius propositiones non omnes sunt exponibles, ut:

*Canis solus latrat.*

*Quoddam animal est canis*

*E. Quoddam animal solum latrat.*

**XXI. Syllo-**

**X X I.** Syllogismus exponibilis insuper est vel exclusivus, vel exceptivus, vel reduplicativus, vel comparativus.

**X X I I.** Exclusivus est, qui constat ex propositionibus exclusivis, ut:

*Qui solus est noster Redemptor, est solus noster Media-  
CHRISTUS est solus noster Redemptor. (stor,  
E CHRISTUS est solus noster mediator.*

**X X I I I.** Exceptivus est, qui habet propositiones exceptivas, ut: *Si omne Ens præter DEUM est dependens, sequitur quod non nisi unum Ens sit independens. Sed omne Ens præter DEUM est dependens. E. sequitur, quod non nisi unum Ens sit independens.*

**X X I V.** Reduplicativus est, qui habet propositiones reduplicativas, ut:

*Omnis homo secundum animam est immortalis.*

*Omnis homo secundum corpus est mortalis.*

*E. Quidam qui est mortalis secundum corpus, est immortalis secundum animam.*

**X X V.** Comparativus est, qui constat ex propositionibus comparativis, ut:

*Petrus est doctior Paulo.*

*Petrus est doctior Johanne.*

*E. Quidam qui est doctior Johanne, doctior est Paulo.*

**X X VI.** Documenta generalia de Syllogismis exponibilibus nunc subjungenda sunt.

**X X VII.** 1. Doc: In examine horum Syllogismorum particulae exponibiles referenda sunt ad prædicatum, quod probari potest. 1. ex conuersione. 2. ex syllogismis legitimis. 3. ex syllogismis vitiosis. & 4. ex communi Logicorum regula, quæ ita habet: Quicquid dicit rationem inhærentiam prædicati ad Subjectum suum, illud pertinet ad prædicatum, adeoq; iisdem rationibus quibus probari solet particulas modales referri debere ad prædicatum, probatur etiam hæc sententia, quæ particulas exponibiles ad prædicatum referendas esse dicit. Exempla hujus rei, si petita à me fuerint, proponam in confliktu.

**X X VIII.** Objiciunt alias 1. nos hic contemnere situm: Nam exclusivæ

exclusivæ propositiones sæpius ita proponuntur. ut Solus homo  
est rationalis. Solus leo est rugibilis, in quibus exemplis particulae  
exponibiles pertinere videntur ad Subjectum, Verum Resp. Sub-  
jectum & id quod ad Subjectum pertinet, ut & prædicatum, & id,  
quod ad prædicatum refertur, non semper ex situ esse estimandum.  
Nam sæpe fit træctio terminorum: Sicuti etiam aliis Exemplis id  
demonstrari potest, utpote hisce: Per accidens homo peccavit;  
Omnino fortissimè pugnavit Alexander Magnus.

2. Objectionis loco dicunt, nos in Grammaticam impingere,  
idque probant ex hac ratione: quia sæpe Subjectum proposi-  
tio-  
nis exponibilis est generis Masculini, prædicatum vero est generis  
alius, ut: *Solus homo est animal rationale*. Hic Subjectum, uti cui-  
vis, qui vel primoribus labiis Grammatices rudimenta deliba-  
verit, est generis Masculini, prædicatum vero generis Neutrius. Si  
referri debeat particula solus ad prædicatum, in Grammaticam  
peccare videatur, quia particula solus est generis Masculini, præ-  
dicatum vero est generis Neutrius. Resp. 1. hic fieri træctionem  
particulae exponibiliis. 2. per Instantiam, ut: *Verbum caro factum*  
est, ubi vox, *caro*, quæ est generis foemini pertinet ad prædic-  
atum, sicuti patet ex conversione, prædicatum autem est generis  
Neutrius, nec tamen impingitur in Grammaticam. Quod etiam  
pueris in Scholis est notum.

3. Objectant illam divisionem inter exclusivas exclusi Subjecti  
& exclusivas exclusi prædicati, & dicunt exclusivas exclusi Subjecti  
propterea ita dici, quia particula exclusivæ in iisdem pertineant ad  
Subjectum, Sed quid hic responderi debeat ad hanc objectiuncu-  
lam, de hac re vide disput. 8. hujus colleg. Log. Thes. 63.

4. In medium etiam proferunt nonnullas propositiones, quibus  
hanc sententiam infringere conantur, sed frustra id tentant:  
Hujusmodi propositiones sunt: *Qui solus nos redemit, est noster  
Meſias. Sola fides est res mortua. Petrus solus ambulat*. Resp. ad  
primam propositionem eandem non esse exponibilem, quia parti-  
cula solus pertinet ad descriptionem Subjecti: Nam particula ex-  
ponibilis tum facit propositionem exponibilem, quando cadit su-  
per copulam id est cum dicit, quæ ratione prædicatum Subjecto suo

conveniat. Sic etiam ad secundam propositionem responderi potest, particulam exponibilem pertinere ad descriptionem Subjecti dum exponitur ita: fides solitariè existens id est se non ostendens per opera, vel non habens opera bona, est res mortua, sicuti id nostri Theologi fusiùs ex sacris docent. Hinc facile dissolvitur hoc Sophisma, quod alias proponitur.

*Sola fides justificat.*

*Sola fides est res mortua.*

*E. res mortua justificat.*

Quatuor enim termini in hoc syllogismo sunt. Ambiguitas enim est in voce *fidei*; In majori enim sumitur pro tali fide, quae habeat bona opera, in minore vero pro fide destituta bonis operibus, & sic duo sunt termini. 3. est justificare. 4. est esse rem mortuam.

Ad tertiam propositionem responderimus, eam esse ambiguam, & posse intelligi vel ita: Petrus solitariè existens ambulas; & ita libenter concedimus, particulam *solas* pertinere ad descriptionem Subjecti, sed tunc monendum est, eandem non esse exponibilem, vel ita exponi posse, ut particula *Solus* ad prædicatum pertineat, arq; sic in sententiam nostram abitur.

**XXIX. 2. Doc.** Horum Syllogismorum judicium logicum etiam ferri potest ex eorum expositione, ut e. g.

*Omne rudibile vivit.*

*Solus asinus est rudibilis.*

*E. solus asinus vivit.*

Exponitur autem hic syllogismus per duos alios, ut:

*Omne rudibile vivit.*

*Asinus est rudibilis.*

*E. Asinus vivit.*

Item:

*Omne rudibile vivit.*

*Quidquid non est asinus, non est rudibile;*

*E. Quidquid non est asinus, non vivit.*

Respondet alias secundum communiorum opinionem, minorem

10

in Syllogismo exponibili modō adducto esse virtute negantem,  
sed quid de hac responsione sentiendum dicam in conflictu.

X X X . 3. Doc. Etiam hi syllogismi juxta regulas generales &  
speciales syllogisticae & formalis consequentiae traditas in disputa-  
tione praecedenti examinari debent.

X X X I . 4. Doc. Nullus discursus in quo aliquis terminorum  
semel absolute, semel cum particula aliqua exponibili ponitur, est  
bonus informa. Ratio quia alias plures quam tres termini in eo e-  
sunt, ut :

*Quod est in mea domo, est in oppido.*

*Unicus fons est in mea domo.*

*E. Unicus fons est in oppido.*

Item :

*Qui propriā virtute adscendit ad cælos & penetra-  
vit omnes cælos, est homo.*

*Solus CHRISTUS ascendit ad cælos propriā virtute  
& penetravit omnes cælos.*

*E. Solus CHRISTUS est homo.*

X X X I I . 5. Doc. Cujusque termini particula exponibilis ibi  
est repetenda, ubi ipse repetitur terminus, cui apposita erat. Sic  
contra documentum hoc peccat hic discursus, utpote :

*Nullus peccator quā peccator exauditur a DEO.*

*Petrus fuit peccator.*

*E. Petrus non fuit exauditus a DEO.*

Sic hic in majore prædicato apponitur limitatio, quæ erat re-  
petenda in conclusione, quia ibi idem repetitur terminus; Hæc  
E. inferenda erat conclusio. E. Petrus quā peccator non fuit exau-  
ditus a DEO; nisi enim sic concludatur, minus erit in conclusio-  
ne, quam erat in præmissis, quod est vitium formæ bona.

X X X I I I . 6. Docum. Nullus discursus in quo semel tan-  
tum ponitur particula exponibilis, est bonus & legitimus in for-  
ma, ut :

*Nullum animal quā dormit, vigilat.*

*Omnis homo est animal.*

*E. Nullus homo vigilat.*

**XXXIV.** 7. Doc. In specie de limitativa propositione observandum est hoc, videlicet, quod minor non sit limitanda, nisi limitata prius fuerit major. Ratio quia alias plures quam tres terminerunt in Syllogismo, ut e.g.

*Omnis Pater est à DEO.* Eph. 3, 15.

*Diabolus quā mendax est Pater.*

*E. Diabolus quā mendax est à DEO.* Johan. 8, 44.

Hæc de Syllogismo exponibili dicta sufficiant, institutum & ordinoster requirit, ut aliquid dicam.

*De*

### *SYLLOGISMO COMPOSITO.*

**XXXV.** Syllogismus compositus est, cum tota quæstio disponitur cum medio termino in majore propositione, ut:

*Si homo sentit, est animal.*

*Sed homo sentit,*

*E. est animal.*

Hic Syllogismus est compositus, quia tota quæstio (*homo est animal.*) disponitur cum medio termino (*sentire*) in majore propositione. Hæc ratione distinguitur à Syllogismo simplici, in quo tota quæstio non disponitur cum medio termino in majore propositione, sed unus terminus cum medio in majore, alter in minore cum medio coordinatur. Hinc hos Syllogismos judicamus esse simplices, non compositos:

*Si dies est, Sol ortus est.*

*Si meridies est, dies est,*

*E. Si meridies est, Sol ortus est.*

*Item:*

*Si Socrates est virtute prædictus, est laude dignus.*

*Si autem est justus, est virtute prædictus,*

*E. Si est justus, est laude dignus.* vide Scheibl. in tract.

*Syllog. cap. 5. in comment. tit. 2.*

**XXXVI.**

**X X X V I.** Syllogismus compositus est vel disjunctivus, vel copulativus, vel conditionalis.

**X X X V I I.** Disjunctivus est, cuius propositio major est disjunctiva.

**X X X V I I I.** In disjunctivis syllogismis recte procedimus à remotione unius ad positionem alterius, & à positione unius ad remotionem alterius: Itaque in disjunctivis syllogismis utrumque non potest poni, nec utrumque debet removeri, sed vel unum debet poni, & alterum removeri, vel unum debet removeri, & alterum poni. Sic bene concludunt hi disjunctivi Syllogismi:

**Aut dies est aut nox est.**

**Sed est dies.**

**E. Nox non est.**

**Vel:**

**Aut dies est aut nox est.**

**Sed dies non est.**

**E. Nox est.**

Malè vero conclusionem inferunt hi:

**Aut tu recte respondisti, aut non recte respondisti.**

**Sed tu recte respondisti.**

**E. Non recte respondisti.**

**Item:**

**Aut tu Johannes virtuosus es, aut non es virtuosus.**

**At tu Johannes es virtuosus.**

**E. Non es virtuosus.**

Fallunt hi syllogismi propterea, quia utrumque in iis ponitur.

**XXXIX.** Notandum hic est. 1. quid sit ponere, quid tollere vel removere: Ponere est alteram partem propositionis repetere in assumptione, sicuti erat posita in majore propositione. Tollere seu removere est idem quod contradicere: 2. Observaretiam, in Syllogismis hujus modi aliquando coacervari plura membra, & tunc 1. posito uno, removentur cetera per conjunctionem copulativam ut Physica aut est Sapientia, aut Intelligentia, aut Scientia, aut Prudentia, aut ars. Sed est Scientia. Ergo neq; est Sapientia, neq;

neq; intelligentia, neq; prudentia, neq; ars. aut 2. unum remo-  
tus, & cætera (quæ supersunt) ponuntur per disjunctionem. ut:  
Aut hæc aqua est calida, aut frigida, aut tepida. At non est tepi-  
da. E. est vel frigida, vel calida. vel 3. removentur plura, & po-  
nitur unum, ut: Aut infans est virtuosus aut vitiosus, aut nul-  
lius est generis. Sed infans neq; est virtuosus neq; vitiosus. E. est  
nullius generis.

XLI. Modi horum syllogismorum sunt duo: Primus est, qui  
ponit unum, & alterum tollit. Secundus est, qui tollit unum,  
& alterum ponit. Exempla horum modorum vid. in thesi pre-  
cedenti 38. posita.

XLI. Duæ hæc regulæ in disjunctivis Syllogismis probè no-  
tandæ sunt:

1. In propositione disjuncti debet esse sufficiens enumeratio  
membrorum. Hinc vitiosè concludi videtur hic syllogismus:  
Hæc res aut est cervus aut est homo. Sed non cervus. E. est ho-  
mo. Item Hoc corpus aut est nigrum aut est album. Sed non  
est nigrum. E. est album.

2. Membra propositionis disjuncti non debent esse subordi-  
nata, sed opposita. Vitiosa itaq; est hæc ratiocinatio. Aut à  
DEO habemus vitam, aut à parentibus. Sed habemus à paren-  
tibus. E. non à DEO. Quia membra in hujus disjuncti pro-  
positione non sunt opposita, sed subordinata. Tantum de Syllo-  
gismo disjunctivo.

XLII. Syllogismus copulativus est, cuius major propositio  
itemq; conclusio sunt negatæ, assumptio verò est affirmata. ut.

*Non & Petrus est homo, & brutum.*

*Sed Petrus est homo.*

*E. Petrus non est brutum.*

*Non Maria & lapis est & animal.*

*At Maria est animal.*

*E. non est lapis.*

XLIII. Syllogismi copulativi affirmativi non dantur, ut

*Aristo.*

*Aristoteles est Philosophus, & bonus.*

*Sed Aristoteles est Philosophus.*

*E. est bonus.*

Pessimus est hic Syllogismus copulativus, quia est affirmans.

**XLIV.** Notetur negationem copulativam æquipollere disfunctioni, ut: haec negativa copulativa. *Non E dies est & nox est*, æquipollit disjunctiva huic propositioni. *Aut dies est aut nox est.* Assum. *Sed dies est. E. nox non est.* vel, *sed nox est. E. dies non est.*

**XLV.** Syllogismus conditionalis est, cuius major est conditionalis. ut:

*Si Petrus est rationalis est homo.*

*Sed Petrus est rationalis.*

*E. est homo.*

**XLVI.** Hujus Syllogismi duæ sunt figuræ. 1. est quæ procedit à positione antecedentis ad positionem consequentis. 2. est quæ procedit à remotione consequentis ad remotionem antecedentis non contra.

**LXVII.** Utriusq; figuræ sunt quatuor modi. 1. quando utraq; pars propositionis est affirmata. 2. quando utraq; pars propositionis est negata. 3. quando prior pars propositionis est affirmata, altera negata. 4. quando prior pars propositionis est negata, posterior affirmata.

**LXVIII.** Hic probè notandum est etiam, quod supra dictum *i. b. 39.* quid sit ponere, quid removere vel tollere, alias facile vitiosus fiet Syllogismus, ut: *Si omne animal est irrationale, etiam omnis homo est irrationalis.* Atq; *nullus homo est irrationalis.* *E. nullum animal est irrationale.* Vitium hujus Syllogismi inde resultat, quia non rectè tollitur consequens & antecedens. Remotio enim debebat fieri per contradictionem, non per contrariam propositionem hoc modo: *At quidam homo non est irrationalis.* *E. Quoddam animal non est irrationale.*

**XLIX.** Notetur etiam interdum brevitatis gratiâ ita assumi & concludi: *Sed verum est prius, E. & posterius: Pesterius non est E. nec prius, vel posterius est absurdum E. & prius.* Tantum de Syllogismo composito, pergo ad clausulam disputationis hujus.

*De*

## IMPERFECTIS ARGUMENTANDI FORMIS.

L. Argumentationes imperfectæ sunt Enthymema, Exemplum, inductio, Dilemma, Sorites, Prosylogismus & Syllogismus inversus.

LI. Enthymema est syllogismus imperfectus, cuius aliqua propositio deest vel major vel minor. Dicitur autem sic Syllogismus imperfectus, non quoad mentalem conceptionem, sed vocalem expressionem. Nam quoad mentalem conceptum perfectus est. Hinc etiam nomen habet à verbo ἐνθύμησις, animo concipio vel secundum vim yocis aliquid in animo habeo, quia una propositio retinetur in mente, & altera ore profertur & ita conclusitum.

LII. Enthymema est vel Syllogismi simplicis vel compositi. Enthymema syllogismi simplicis est, quando alteruter terminus consequentis in antecedente apparet. Compositi est, quando neuter terminus consequentis in antecedente est.

LIIL In Enthymemate syllogismi compositi semper deficit propositio, nunquam assumptio.

LIV. Quæritur autem hic, quomodo reductio fieri debeat. Resp. propositionem deficientem in antecedente substitui debere, ubi notetur, assumptionem deficere, si Subjectum conclusionis non apparet in antecedente, propositionem vero majorem deesse, si prædicatum conclusionis non sit in antecedente.

LV. Sub Enthymemate continetur Exemplum. Exemplum autem est Syllogismus imperfectus inferens ex uno singulari alterum propter aliquam similitudinem. ut Abraham justificatus est fide. E. & tu justificaberis fide.

LVI. Fundamentum argumentationis ab uno Exemplo singulari ad aliud singulare consistit in similitudine, quia similius eadem est ratio.

LVII. Inductio est Syllogismus imperfectus, in quo ex collectione singularium infertur universale. Sed observetur hic per singulare non tantum intelligi individuum quid, sed etiam minus universal.

LVI.

**L VIII.** Inductionis fundamentum est, quod individua omnia aequipollant speciei, & species omnes aequipollant generi.

**L IX.** Inductio debet enumerare omnia membra vel explicitè vel implicitè.

**L X.** Reductionis modus patebit ex uno exemplo: Ut Vinum Rhenanum calefacit: Vinum Malvaticum calefacit: Vinum Hispanicum calefacit, nec datur dissimile exemplum. E. Omne vinum calefacit. Inductio hæc reducitur ad perfectum Syllogismum ita.

Quocunq; dicitur de vino Rhenano, Malvatico, Hispanico &c: illud etiam de omni vino dicitur.

Sed nō calefacere dicitur de vino Rhenano, Malvatico Hispanico. &c.

E. Nō calefacere dicitur etiam de omni vino.

**L XI.** Dilemma est Syllogismus disjunctivus mixtus, utramq; partem minoris probans, ut utrinq; petat feriatq; adversarium.

**L XII.** Sorites est argumentatio composita, in qua prædicatum primæ propositionis fit Subjectum in secunda, secundæ in tertia, & ita porrò, donec tandem ultimum prædicatum cum Subjecto primo concludatur.

**L XIII.** Prosylllogismus est principalis Syllogismi illustratio vel probatio e. g.

Quicquid est commune cum bestiis, non est summum bonum, quia summum bonum est proprium hominum.

Voluptas est communis cum bestiis, quia voluptas est affectio corporis sensivæ. Bestiae vero isti dem habent appetitum sensitivum.

E. Voluptas non est summum bonum.

**L XIV.** Syllogismus inversus est, in qua ordo naturalis propositionum est mutatus: ut e. g.

Quicquid est Spiritus, in Spirits est colendum;

E. & DEUS est in Spirits colendus, quia DEUS est Spiritus.

C

Addita-

## Additamenta ad materiam disputationis

1. De Sorite notentur hi canones, i. quod præmissæ illius semper debeant esse duabus plures. Hiac sorites non est, sed Syllogismus inversus, cum duæ solum sunt præmissæ, ut e. g.:

Homo est animal.

Animal est substantia.

E. homo est substantia.

Si fiat hic præmissarum transpositio, Syllogismus erit directus:

2. Præmissa in sorite debent esse subordinatae; intelligitur autem hic cum primis subordinatio generum & specierum: Funt tamen etiam sorites ex subordinatis sibiis, effectis & conditionibus aliis.

3. Præmissæ in sorite debent esse affirmatae: Alias si secundus fiat sophismata oriuntur ut e. g.

Homo est animal.

Animal non est lapis.

Lapis est inanimatus.

E. Homo est inanimatus.

Excepitur tamen ab hac regula hic sorites, qui solum ultimam præmissam habet negatam, ut:

Homo est animal.

Animal est corpus.

Corpus est substantia.

Substantia non est accidens.

E. Homo non est accidens.

Pertinet hinc syllogismus Rom. 8.

Afflictio parit patientiam.

Patientia experientiam.

Experientia Spem.

Spes non confundit.

E. Afflictio non confundit.

4. Præmissæ in sorite debent esse per se non per accidens. Atque mala hinc orientur consequentia, ut:

Ex ebrietate oriuntur mali mores.

Ex malis moribus bona leges.

Ex bonis legibus Salus Reipublicæ.

E. ex ebrietate oriuntur salutis Reipublicæ.

5. Ia

55. In sorite: p̄missæ debent esse universales, non particulares.

56. Alias & Moyistica erit, ut:

Omni homo est animal.

Omne animal est animatum.

Quoddam animatum caret sensu.

E. Quidam homo caret sensu.

Vide Scheibl: in tract: syllogist cap. 13. de syllogist: Crip: tit. X. de sorite

II. Quæritur, quomodo sorites reducatur ad Syllogismum directum, & perfectum. Resp. secundam præmissam collocari loco majoris, primam loco minoris, & ita fieri conclusionem, & tertiam præmissam ponи loco majoris, secundam loco minoris & ita concludi, atq; ita deinceps, siquæ præmissæ adhuc adsinat, persendum erit, ut e. g.

Homo est animal. Animal est sentiens.

Sentiens est vivum. Vivum habet animam.

E. Homo habet animam.

Resolvitur in simplices syllogismos ita: Primus est:

Omne animal est sentiens.

Omnis homo est animal.

E. Omnis homo est sentiens.

2 Omne sentiens est vivum.

Omne animal est sentiens.

E. Omne animal est vivum.

3 Omne vivum habet animam.

Omnis sentiens est vivum.

E. Omne sentiens habet animam.

In sorite igitur tot sunt syllogismi potentia, quoi sunt præmissæ, unicā exceptā sicuti ex præcedenti réductione apparet. Alium etiam reducendi modum vide in manual: Log: Sibarisp. 203. item apud Scheibl: in tract: syllogist. cir:

III. Quæritur, ait sorites sit bonitus Syllogismus? Resp. negativam tenere & defendere Fortunatum Crellium. Verum hæc sententia admitti nec potest, nec debet, quia 1. soritæ fundatum, quo nascitur, est firmum & stabile. Fundamentum autem soriticæ consecutionis consistit in regula illa, quam habet Aristoteles 1. categ. c. 3. & 2. post. 13. Quicquid essentiali prædicatio-

ae dicitur de praedicato; id etiam dicitur de subiecto. Partim etiam sorites judicari & aestimari debet ex necessaria cohaerentia causarum proximarum & remotarum, item causarum, & effectorum per se. 2. Hi syllogismi soritici possunt reduci ad simplices syllogismos. Reductio autem supponit formalem consequiam in Syllogismo reducibili, ut Zabarella docet de 4 fig. c. 7. Soriticum itaq; syllogismum bonum esse concludimus.

IV. De dilemata non immerito queritur, quando flat in efficax, ubi responderi potest, tunc id fieri 1. si propositio non sit ex immediatis & contrariis, 2. si non recte subsumatur, & probetur, utraq; pars, sicut utraq; vel alterutra pars admitti possit ab adversario. & 3. si dilemma retorqueri queat in ponentem.



### Corollaria alia.

1. *An anima sit tota in toto corpore, & in qualibet parte corporis* Resp. affir:
2. *An prascientia DEI tollat rerum contingiam* Resp. neg.



**H**ραπλένης μάλα δεινὸς ἀνὴρ εῆλος τε κλυτός τε  
 (ησίδε Μάση δότης κλείσου αἰοιδῆς  
 ὡσπερ ἐρευγλούμη μεταλλίρυπτε χέυματα Φαντὶ)  
 χερότι γε μὲν σάκι<sup>Θ</sup> εἶχε παναίσλον ἢ δέ πις ἀντὶ<sup>ν</sup>  
 οὗτοί ἔροήν ειπεντε Βαλιόν, οὗτοί ἔθλασε θαῦματαίδεδα.  
 Τέπι, Φίλον κάρα, λαθερδίης πάσπιθεσσοι φυλάξεις  
 Θεάστουμενον, μὴ οἶδα ἀνοίγων ἀνθερέοντα,  
 Τοῖον ἐπ<sup>Θ</sup> λοιπούς περ<sup>Θ</sup> ξυνώσαμι ἐνίπλων  
 ή εἴ το ιερειλάς σάκι<sup>Θ</sup> αὔτης; ἐμμεναὶ οὕτω  
 πάρεπαν ἔμοιγε δοκεῖ, ποὺς γὰρ Φρένας εἶλετο Φατῶν  
 Φεῦδ<sup>Θ</sup> ἀληθέας απεικόνεις Φίλ<sup>Θ</sup> ἄφιλ<sup>Θ</sup> ἀγνῆς  
 Απεικονίης σάκι<sup>Θ</sup> ἐστι, ὅτε σκολιόφρονί βλαή  
 Αιμύλα κατίλλον απειλήνορα μῦθον ίάλλει  
 Ψευδολογεῖν ἀνδρῶν δολέν τέννημα σφιστῶν  
 Λυσιδολον σάκι<sup>Θ</sup> ἐστι, καὶ γέ δέ πις ἀντὸ<sup>ν</sup>  
 ἔθλασε, οὗτοί ἔροηνε Βαλῶν πολυκαμπεῖ μύθῳ  
 οὐ σε Ιωάννες, οὐ ίσω καὶ σφιερφεί θεσμῷ  
 Αρθρὸς ὁμοωφεσούντης ἀλύποσε ἥδη ὄχη,  
 Αρραγε<sup>Θ</sup> Φιλίης τὸ στιώ σφεργίσοτο δεσμῷ  
 οὐ σε ἐπάινεομοι, οἵτις ἀλητῆρε σίδηροι  
 θήκω ἀμφ' ἄμοισι σάκι<sup>Θ</sup> το πανάιολον εἰλεις  
 τηλι λογικήν γε δόλοιο λαθηφθόγγοιο δόληρα,  
 Αύταρε εγὼ χαίρω, οὐ τόνον Μάσητι τε θήκω  
 καὶ λειπὸν σπένσας. Ευθυμούσην γὰρ αὔξεται  
 θηντοῖς ἀνθρώπις, καινοθυμούσην δὲ ηγκίστη

*In gratiam Domini Respondentis  
adposuit*

ANDREAS TUXEN,  
 Bredstedt. Holst.

**M**ινω<sup>Θ.</sup> λέγεται (η πήτυμ<sup>Θ.</sup> εἰ πέλε Φήμη) Δῶμοι δολοφόνων μεσὸν σκωλιῶν τε πορείαν  
 Πᾶς ἄσπις πάντας λιποφέγγει σύνδεσμ<sup>Θ.</sup> ὥρφη  
 Ποστοὶ χαριζομένοις σφαλεράς ἐσῆλθε πορείας  
 Νόσιμ<sup>Θ.</sup> ζώστε ἥλιον ὅπαθος σέσιος πεδίλοις.  
 Άγιδης δὲ μόν<sup>Θ.</sup> τὴν μέρμηδα χερσὶ πέξων  
 ἥλιον ἐσω ἐχέφρων καὶ ταύτην τῷ αὐτίς οἰκέντεο  
 Οὔτως εἰς ἀλλὰς εἰ μὴ ΛΟΓΙΚΗ σε ἀγωγεῖ  
 Γνώσθε, εἰς ἀπατῶν πολλάκιν ρύψει σὲ θάλασσαν.  
 Τὴν τε ἀλήθειαν δὲ καὶ θέμις εἶτε ἐρευνᾶν.  
 Αὕτη ἀνδεσμένης περιδίας λιποφέγγεα σμήχει  
 ὥρφην, ἀκεφαντις ὡσπερ σκέλοσσαν ὄμιχλην,  
 Φέγγ<sup>Θ.</sup> ἀπερέσον χίλιοι ὁδοπόρου<sup>Θ.</sup> ἡσῦς  
 Αξι<sup>Θ.</sup> οὖν, ὅσις πάντη σπαχάλει ἐπάντι.  
 Αξι<sup>Θ.</sup> οὖν σὺ Ιωάννης Φιλε Φιλτρᾶς ἐπάντι  
 εἴς, ὅπ σοι ἄντη μελέτη πέλεν ἄινε.  
 Συγάρω σοι: Θαρσήεις, ἀνάβηθι ποθεδεῖν,  
 Καίγε ἀσυλήτοιν τῷδε πεισθίδεσσοι φυλάσσων  
 Σπεύσσον ἐπητυμήν εἰπεῖν, τεοφίσκεται λύειν.

CHRISTIANUS LUDOLPHI,  
 Tinningstadio-Holsatus.







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn729609138/phys\\_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729609138/phys_0028)


**DFG**

**XL.** *Demonstratio quæ sit à causa remota* conclusionem negativam, nunquam affirmativam remotā, non necessariò ponitur effectus, sublatā tollitur effectus. Unde syllogismi dememotā sunt in secunda figura in modo *Camest* quid respirat, habet animam sensitivam, *Lapis sensitivam*. *E. lapis non respirat*. In hac demonstratione sensitiva est causa remota respirationis, noua primita anima sensitiva, non ponitur respirationis, pri sensitivam habent, non tamen respicant. Proxima respirationis. Exinde perspicuum est, sa, e. g. anima sensitiva non posse procedere a etiū, respirationem. Negativè tamen optinet quentia, Sublatā enim causā remotā, effectus monstratio à causa remota habet aliquam concomitante absolute ita dicta, quia utraq; effectus ab ea 1. quia non est causa proxima, per 2. quia propositiones non sunt immediatae. De effectu longè est perfectior illa, quæ est à causa demonstratione ab effectu propositiones immediatae contingit in demonstratione à causa remota causa est, neque propositiones immediatae.

**XL.** Sed dicat fortassis aliquis hanc divisionis non esse immediatam, sed dari alia genera demonstrationum, aliam *τέχνην*, aliam *τέχνην*, quæ demonstratur *τέχνη & διόπτρα* simul. Ita *com. 95.* & in *epit. cap. de demonstratione & lib. 2* alibi Resp. Objicienti hoc dubium, non esse demonstrationem aliam propter quid tantum, aliam. *simul.* Nam omnis demonstratio *διόπτρα* involvit.

2. Objiciunt & alij hoc modo: Si datur de ad effectum, & vicissim ab effectu ad causam, monstratio ab effectu ad effectum alium nec Ratio, quia propter necessariam effectuum con-

C



the scale towards document